

CAPUT IV.

De Librorum sacrorum Textu.

DUPLEX distinguitur textus, alius *originalis*, alius *non originalis*. Prior ille est qui eam habetur linguam, quam primitus ab autoribus sacris scriptus est vel dictatus. Posterior autem dicitur ille qui ex eam linguam, quam primum ab autoribus sacris scriptus, vel dictatus fuerat in aliam linguam translatus fuit. Agemus 1°. et quidem raptim, de Textu originali, tum Veteris, tum Novi Testamenti; 2°. de præcipuis Scripturarum versionibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Textu originali, tum Veteris, tum Novi Testamenti.

Præter linguam Hebraicam, omnium antiquissimam, tres aliæ à sacris autoribus usurpatæ sunt; nimirum *Chaldaica*, *Syriaca* et *Græca*. 1°. Hebraicæ ab initio scriptos esse omnes Veteris Testamenti Libros, paucis exceptis, quos modò indicabimus, testis est Hieronymus in suis ad illos Libros Præfationibus, testes etiam Judæi, qui Scripturam in suis Bibliis Hebraicè legunt.

2°. Lingua Chaldaica est ea quæ Babyloniis propria, et à Judæis captivis in usum diuturnitate temporis recepta fuit. Hoc idiomate inter Libros sanctos scripti sunt *Tobias*, *Judith*, *pars Libri Esdræ*, et *pars Libri Danielis*, ut testatur Hieronymus.

3°. Lingua Syriaca eadicitur, quæ Syris propria est, nec ab Hebraica multum discrepat, Ju-

dæis è captivitate Babylonica in Syriam reducibus tandem facta est vernacula; quapropter Dominus noster Jesus Christus, Apostoli, ceterique primi Fideles, non Hebraicam, si stricte loquamur, at Syriacam linguam usurpârunt. Hoc idiomate nullus Veteris Testamenti Liber ab ipsis autoribus exaratus est, nisi forte Ecclesiasticus, et primus Liber Machabæorum. Quo tempore enim hi duo Libri editi sunt, Judæi lingua Syriaca utebantur, asseritque Hieronymus se utrumque vidisse Hebraice scriptum; per linguam Hebraicam eam intelligens, quæ tunc Judæis in usu erat, id est, Syriacam.

4°. Post linguam Hebraicam primum locum tenet Græca, quæ Novum Testamentum primitus conscriptum est, excepto Matthæi Evangelio, ut sic docet Hieronymus: *De Novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Hebraicis litteris edidit. (Præfat. in Evang. ad Damasum. Tom. I. pag. 1426.)*

Hinc facile patet quinam textus censi debeat originalis; nempe Hebraicus quoad Vetus Testamentum merito dicitur originalis; in Novo autem textus Græcus. Ratio est, quod Vetus Testamentum fere totum lingua Hebraica, novum autem penè totum lingua Græca à sacris autoribus scriptum sit aut dictatum. Animadvertendum est tamen plurimum esse discriminis inter textum originalem, et autographum. Textus enim autographus est ipsissimum Exemplar, quod autor sacer vel sua manu scripsit, vel ore suo dictavit. Per textum vero originalem intelliguntur ea omnia exemplaria, quæ ad normam primi illius autographi eadem linguam descripta sunt.

ARTICULUS II.

De præcipuis Scripturarum versionibus.

Singulas hic non persequemur sacrorum Codicum versiones, quæ variis temporibus, à variis autoribus prodire Eas tantùm expendemus, quæ maximam in Ecclesia auctoritatem obtinuerunt. Duæ sunt autem hujusmodi, nempe versio Græca 70 interpretum, et Latina quæ dicitur Vulgata.

Quæres 1°. quænam sit versio 70 interpretum, et utràm authentica haberi debeat.

Resp. Versio est Græca Librorum Veteris Testamenti, in Ægypto adornata, sub Rege, ut vulgò creditur, Ptolomæo Philadelpho, qui ut Bibliothecam Alexandrinam, quam magnis sumptibus erexerat, Libris Judaicis locupletaret, eâ de causâ ab Eleazaro summo Pontifice, totâque Judæorum Synagogâ petiit et obtinuit 72 interpretes, linguæ, tum Hebraicæ, tum Græcæ, peritissimòs. Antiquissimam, maximæque auctoritatis esse hanc versionem certum est: nullam enim aliam ante Christum natum habuerunt Judæi *Hellenistæ*, id est, in Græciâ degentes. Scripturam sacram in ea versione à tempore Apostolorum legit Ecclesia Græca. Hæc autem si authentica non sit, dicendum erit Ecclesiam celeberrimam, vero et sincero Scripturarum exemplari destitutam hactenùs fuisse; quo nihil videtur absurdius. Tandem eam ab universâ Ecclesiâ probatam fuisse dicere non dubitat Augustinus: *Hanc tamen versionem, inquit, tanquam sola esset, sic recipit Ecclesia.* (Lib. 18. de Civit. Dei, cap. 43.) Eam igitur versionem, si non explicito judicio, ut Vulgatam nostram confirmavit Ecclesia; tacito tamen et implicito, quod expresso æquivalet, scilicet usu constanti illam approbavit: quæ ergo emendanda censuit Hieronymus

Hieronymus in versione 72 interpretum, (hoc enim numero fuerunt, quamvis 70 rotunde numerentur,) ea fidem et bonos mores non spectant; sed alia leviora, quæ non impediunt quominus versio authentica habeatur, cum fateantur Catholici ejusmodi nævos in nostra Vulgata reperiri, quam authenticam declaravit Concilium Tridentinum. De ipsa nunc agendum est.

Quæres igitur 2°. quænam sint potissimum annotationes circa versionem nomine *Vulgatæ* celebratam.

Resp. ante Hieronymi ætatem, et à primis Ecclesiæ seculis, innumeræ, prope modum ex Græcis fontibus, emerunt versiones Latinæ; verum in occidentalibus Ecclesiis, ad tempus usque Hieronymi, ceteris semper præstitit ea, quæ ab Augustino vocatur *Itala*, à Gregorio Magno *Vetus*, ab Hieronymo *Communis* et *Vulgata*. In ipsis interpretationibus, ait Augustinus, *Itala ceteris præferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* (Lib. 2°. de Doctrinâ Christianâ, cap. 15.)

Deinde Hieronymus linguarum peritiâ celebrimus, Veteris Testamenti versionem ex Hebræo in Latinum elucubravit, exceptis tamen Libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, Baruch, cum adjunctâ Jeremiæ epistolâ; forte quia in Canone Hebræorum non continebantur, ut ipse de Libro Baruch asserit: *Librum Baruch, qui apud Hebræos non legitur nec habetur, prætermisimus.* (Epist. 118.) Vulgatam etiam Novi Testamenti versionem ex Græco textu emendavit, ut ipse in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis sic testatur: *Novum Testamentum Græcæ fidei reddidi; Vetus juxta Hebræicum transtuli.* Summo cum plausu excepta est Latina hæc Novi Testamenti emendatio, quam jussu Damasi Papæ susceperat; Veteris autem Testamenti ex Hebræico idiomate versio, dictionibus primùm à nonnullis impetita est; lapsu

tamen temporis, et deprehensâ illius cum Hebraico Textu consensione, ita in Ecclesiâ obtinuit, ut desinente sexto seculo, jam ubique ferè reciperetur. Hanc Hieronymi versionem plerique Veteris Testamenti Libri, majori quidem, sed non ex omni parte, spirant in editione nostra vulgata latina; Psalterium enim quod in eâ extat, non illud est quod ex Hebræo vertit Hieronymus; sed Psalterium est antiquæ versionis *Italæ*, à sancto Doctore emendatum: cùm enim Psalmi quotidie in Templis à populo decantarentur, et præ ceteris Scripturæ partibus, memoriâ tenebantur, non potuisset Psalterii mutatio, sine populi offensione, in Ecclesiam inveni.

Recentiores Hæretici, non tam amore veritatis, quam injusto in Tridentinam Synodum odio ducti, vulgatæ editionis *authenticitatem* totis impugnant viribus.

Vocem *authenticum*, mutuati sunt Theologi à Jurisperitis, qui *authenticum* dicunt scriptum, quod ex se fidem facit in judicio, et supremæ est autoritatis, ita ut à nullo, rejici, vel in quæstionem vocari debeat; quo sensu Scriptura dicitur *authentica*, quia ex se fidem facit, eamque habet autoritatem, cui nemo refragari debeat, in iis quæ ad fidem et mores pertinent.

PROPOSITIO I.

Latina utriusque Testamenti versio, quæ Vulgata dicitur, authentica est.

Probatum 1º. Concilium Tridentinum ita definit: Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longi temporis seculorum usu, in ipsâ

Ecclesia probata est. . . . pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat: (Sess. 4. Decret. de editione et usu sacror. libror.) atqui Decretum illud Tridentinum sapientissimum est, et ab omnibus admittendum: hoc enim si repudiatum fuerit, gravissima sequentur incommoda, quæ nullus ferat Catholicus: nam sequitur 1º. Veteres omnes sanctos Patres et Doctores, qui Vulgatam nostram passim commendant, turpiter hallucinatos fuisse; imo et totam Ecclesiam, columnam licet et firmamentum veritatis, errore laborasse, dum à mille annis editionem, quæ *Vulgata* dicitur, ea utendo, approbavit. 2º. Sequitur Ecclesiam Romanam, ceterarum omnium principem et magistram, nullam sua lingua habuisse authenticam Scripturam, dum illam habuerunt Synagoga et Ecclesia Græca, quarum alia à Deo rejicienda, et alia in nefarium schisma erat prolapsura: atqui impiæ hæc consecraria nullus est Christianus, qui non horreat; ergo, etc.

Prob. 2º. Ex laudibus quibus ipsimet Lutherani et Calvinistæ doctissimi Vulgatam nostram commendant: sic Beza in editione Novi Testamenti anni 1559, omnibus Latinis versionibus nostram anteferendam esse affirmat, Erasmoque reprehendit, quod veterem interpretem rejiciat: sic Paulus Fagius à Waltonio citatus: *Non est temere, inquit, nata vulgata editio, ut quidam scioli stulte et imprudenter clamitant.* Ludovicus de Dieu, vir linguarum peritiâ conspicuus, de Vulgatæ autore ita scribit: *Si vulgatum interpretem, quisquis is tandem fuerit, doctum, imo doctissimum visum fuisse asseram, non me peccasse judicavero. Suos habet naves, fateor; habet et suos barbarismos; sed quin passim ejus fidem judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non possum.* Eruditus Grotius rationem afferens, cur ad vulgatam editionem notas suas referat, testatur, *vulgatum interpretem semper se plurimi fecisse, non modo quod nulla*

dogmata insalubria continet; sed etiam quod multum habet in se eruditionis. Ita sentit et Casaubonius in notis ad Evangelium.

Obj. 1°. Ea versio non est authentica, quæ primigeniis textibus non est consentanea: atqui ex mera collactione Vulgatæ cum textibus primigeniis, tum Hebraïco, tum Græco, liquet Vulgatam ab iis dissentire; ergo non est authentica.

Resp. Dist. maj. Quæ primigeniis textibus non est consentanea, ut plurimum et præsertim in iis quæ ad fidem et mores pertinent, conc.; quæ primigeniis textibus non est consentanea in omnibus, neg. disting. pariter min. Porro ut versio definiatur authentica, non necesse est eam in omnibus prorsus, etiam in levioribus, cum fortibus consentire, ita ut nihil mendii contineat; siquidem ipsemet textus originalis, utpotè humana diligentia ex autographo desumptus, mendis non omnino caret, ut satis probant variae lectiones, quæ in variis textibus, tum Hebraïci, tum Græci, exemplaribus passim occurrunt; ut igitur versio aliqua merito declaretur authentica, satis est eam in omnibus, moraliter loquendo, id est, non nisi exceptis paucis levioribus, cum originali textu concordare.

Obj. 2°. Ut authentica sit versio Vulgata, non satis eam cum primigenio textu consentire in rebus gravioribus, quæ scilicet ad fidem moresque pertinent: alioquin authentica declarari posset Scripturæ versio, in qua multa contra Historiæ et Chronologiæ fidem occurrerent, et quæ originali textui non pauca detraheret vel adjiceret; modo in iis quæ ad fidem moresque spectant, nihil nisi verum et sanum contineret: atqui illud absurdum est; ergo, etc.

Resp. Argumentum illud ad nos minime pertinere: in ea quippe supponitur nos ad versionis authenticitatem hoc unum exigere, ut nihil habeat quod cum fidei articulis morumque regulis pugnet: atqui illud gratis nobis affingitur; insu-

per enim requirimus ut in omnibus, moraliter loquendo, versio textum exprimat originalem: sed consensionem hanc non arbitramur tam perfectam et absolutam esse debere, ut nulla sit inter utrumque, etiam in rebus minutioribus, discrepantia. Namque in ipsis exemplaribus quæ textum primigenium exhibent, nullum hactenus inventum est, vel etiam inveniri potest, in quod aliquid mendii non irrepserit. Quinimo, etiamsi versio quidpiam contra Historiæ et Chronologiæ fidem involveret, nihilominus ut authentica habenda erit, si in ceteris pura sit et sincera.

Fatemur itaque authenticam dici non posse versionem, quæ in paucis admodum, ad fidem et mores pertinentibus, accurata sit, sed contendimus eam esse posse authenticam, licet in omnibus et singulis non sit accuratissime elaborata; imo persuasum habemus nullam fingi posse versionem tam antiquam, tam multorum manibus tritam, cujus tot exemplaria et tam sæpe transcripta sunt, in quâ non inveniuntur errata quædam levia, adeo ut in ista, de quâ agimus versione, instar miraculi haberi debeat, quod, post severiorem criticam, tam pauca deprehendantur menda, tamque levia, et ad fidei ac morum normam minime pertinentia. Illud sane omnibus qui Religionem amaverint, certissimum videbitur providentiæ, in hujus versionis conservationem invigilantis, argumentum.

PROPOSITIO II.

Tridentina Synodus Vulgatam declarando authenticam, nec eam Hebraico, Græcoque Textu anteposuit, ut calumniantur Heterodoxi; nec eam ab omni mendio puram esse definiit.

Prob. prima pars. 1°. Si illud fuisset Tridentinæ Synodi consilium, ut versionem nostram Vulgatam Hebraicis Græcisque fontibus anteponeret, aliquod de suâ hac mente verbum injecisset: at-

quitamen ea de re prorsus silet. Quinimo nullam in suo Decreto mentionem facit Hebraici aut Græci textus ; nullam cum utroque Vulgatæ comparationem instituit, sed cum solis aliis editionibus Latinis , ut ex ipsâ Decreti lectione patet ; ergo , etc.

2°. Tridentinæ Synodi mens non potuit doctissimos viros, qui Concilio interfuerunt, latere : atqui tamen omnium una vox est, nihil de textu Hebraico et Græco fuisse pronuntiatum : quâ de re audiatur Salmero : *Nihil, inquit, de exemplaribus Græcis aut Hebraicis agebatur, tantum inter tot editiones latinas, quas secula nostra parturierunt ; quænam ex illis præstaret, sermo erat ; liberum autem reliquit Sancta Synodus omnibus, qui Scripturas Sacras profundius meditantur, fontes Græcos et Hebræos, quatenus opus sit, consulere. (Prolegom. 3.)* Idem refert Andreas Vega, qui Concilio maximâ cum laude adfuit. (*Lib. 15. de justificat. cap. 9.*) Id etiam asserunt Melchior Canus, Palavicinus Concilii Historicus, Bellarminus, aliique innumeri.

3°. Quid eâ de re sentiat, suâ agendi ratione satis declaravit Ecclesia : numquid enim reclamavit ? Numquid suum Decretum violari conquesta est, eum, ipsâ vidente, tot Scripturæ interpretes à sensu Vulgatæ toties recesserunt, ut textum primigenium iis in locis sequerentur, ubi clarior minusque impeditus videbatur ? Nonne viri doctissimi versiones ediderunt ad sensum originale magis accommodatas, idque cum omnium Catholicorum plausu ? Inter eos autem interpretes eminent P. Houbigant, Congr. Orat. D. Jesu Præsbyter, Litterarum tum Hebraicarum, tum Græcarum cognitione insignis, cujus versio Latina tanta cum laude à Benedicto XIV, et ab omnibus Europæ viris eruditis accepta est : atqui hæc omnia satis probant editionem Vulgatam, non eo sensu authenticam ab Ecclesiâ in Synodo Tridentinâ de-

claratam esse, quod textui Hebraico aut Græco anteposita fuerit ; ergo, etc.

Prob. secunda pars, scilicet Vulgatam non ita authenticam declaratam fuisse, ut omnis prorsus mendæ, etiam levioris, sit expertus : id jam fatentur omnes, quos non excæcat, laudabile quidam, sed absque scientiâ, Vulgatæ studium. Synodus enim quæ jubet Vulgatam selectis Doctoribus committi, à quibus emendetur, eam certe non habuit ut ab omnibus mendis puram et integram : atqui nemo nescit Tridentinum Concilium, suum de Vulgatâ Decretum promulgando mandasse, ut eam sedulo diligenterque corrigerent viri peritissimi. Opus illud aggressi sunt quotquot ab illo Decreto extiterent Summi Pontifices, usque ad Sixtum V, qui Vulgatam publicavit emendatam ; eam iterum repurgari curavit Clemens VIII, ad eumque perduxit statum, in quo nunc extat ; sed testantur eruditi, qui in illud opus incubuere, non pauca se reliquisse emendanda. Eam frequenter deserunt Theologi et Interpretes, ut textui primigenio adhæreant, nec offenditur Ecclesia ; non igitur definivit Tridentina Synodus Vulgatam esse omnibus labis expertem, sed eam nihil continere, quod fidei bonisque moribus noceat.

Obj. 1°. Juxta Decretum Tridentinum, nemo potest Vulgatam quovis prætextu rejicere, quamvis liceat Hebraicum textum, ubi corruptus est et mendosus, rejicere ; ergo Concilium Vulgatam Hebraicis fontibus anteposuit.

Resp. Dist. ant. Nemo potest rejicere Vulgatam collectivè sumptam, conc. in quibusdam levioris momenti partibus, neg. ant. Ex superius dictis manifestum est hanc fuisse Concilii Tridentini mentem ut nemo Vulgatam rejiciat quoad omnes partes, et in præcipuis graviusque momenti capitibus ; non vero in nonnullis levioribus, in quibus Hebraicum Græcumve Codicem minus accuratè exprimit ; siquidem Vulgatæ, et cujuslibet ver-

sionis autoritas, ex sua cum originali textu consensione dimanat. Et verò si prohibuisset Concilium, ne quis à Vulgatâ unquam recederet, quorsum eam emendari iussit? Quis putet Synodum voluisse Amanuensium oscitantiam, imperitiam, vel temeritatem consecrare, ex quibus non semel factum est, ut menda in vulgatam obreperent? Quis putet vetitum à Patribus, ne versionem sequeremur accuratiorem, cum interpresem sensum textûs originalis non assecutus fuit?

Obj. 2^o. Si potest in quibusdam mendosa esse Vulgata, nutabit penitus ipsius autoritas, nec argumentum certum facere poterit: quoties enim testimonium aliquod ex ea depromptum objicitur, responderi poterit corruptum illud esse, et emendandum; ergo omnis mendi expers sit Vulgata, necesse est.

Resp. Neg. ant. Cum enim ea Vulgatæ versionis errata levia sint, nec quidquam fideli vel moribus noceant, fidem quam in ceteris meretur, stare necesse est integram: idem enim esto iudicium de Vulgata, ac de quovis alio opere, v. g. Plutarchi, Ciceronis, Virgilio, Livii, etc. Atqui, licet in horum veterum Scriptis quædam loca mutila sint et corrupta, de quibus maxima est manuscriptorum et eruditorum discordia, non tamen omnia incerta sunt, etiam ea in quibus et operis instituti ratio, et rerum series et manuscriptorum consensus postulant eo modo legi, quo scribitur; ergo pariter quibus in locis Vulgatam nostram, vel manuscriptorum concordiam, vel rerum tenore probabitur non esse corruptam; tunc non minus certam fidem faciet, quam si nihil prorsus mendi ipsi inhæresceret.

CAPUT V.

De Scripturarum multiplici divisione.

BIBLIORUM Codex ratione temporis dividitur in Vetus et Novum Testamentum, utriusque autem libri distribuuntur in *Legales*, qui leges et præcepta Dei potissimum continent; in *Historicos*, qui res gestas referunt; in *Sapientiales*, qui ad mores informandos specialiter scripti sunt; in *Propheticos*, qui futura prænuntiant.

Quæres 1^o. quo numero sint Veteris Testamenti Libri *Legales*.

Resp. Quinque sunt, qui in Pentateucho continentur: scilicet 1^o. Liber *Genesis*, ita dictus, quod mundi creationem et originem in eo Moyses descripserit. 2^o. *Exodus*, quæ vox idem sonat ac *egressus*; hic enim Liber stupendam ab Ægyptiaca servitute Israëlitarum liberationem commemorat. 3^o. *Leviticus*, sic dictus quod in eo describantur sacrificia, cæremoniæ, alique ritus ad Levitarum ministerium pertinentes. 4^o. *Numerorum* Liber sic appellatus, quod in ipsa hujus operis fronte referatur enumeratio Filiorum Israël per tribus et familias. 5^o. *Deuteronomium*, quæ vox Græca idem significat ac *secunda Lex*; non quidem, ab eâ dissimilis, quæ in monte Sinai data fuerat; sed ejusdem promulgatio, et quasi repetitio facta coram Israëlitis quorum patres in deserto perierant.

Quæres 2^o. quot numerentur Libri Veteris Testamenti historici.

Resp. 17: numerantur: scilicet 1^o. Liber *Josue*, in quo referuntur ea quæ à Josue, dum Israëlitis præfuit, gesta sunt, à morte nimirum Moyses.

sis usque ad ipsius Josuë interitum. 2^o. Liber *Judicum*, sic dictus quod historiam *Judicum* exhibeat, sive eorum Magistratum, qui ante Reges Rempublicam Hebræorum administrarunt, à morte Josuë usque ad Samsonis obitum. 3^o. Liber *Ruth*, in quo legitur historia hujus mulieris Moabitidis, quæ nupsit Booz, et Obed Davidis avum peperit. 4^o. Libri *Regum* quatuor, quorum primus res gestas sub *Judicibus Heli et Samuele*, nec non sub *Saule Rege* narrat; secundus refert mortem et sepulturam *Saülis*, cui successit *Isbozet filius ejus*, quo interfecto desiit omnino regnum *Saülis*; deinde sequitur historia regni *Davidis*. Tertius florentissimum describit *Salomonis Imperium*; deinde ejus regni divisionem, deficientibus à *Robamo Salomonis filio* decem Tribubus, quæ *Jeroboam* sese subjicientes, regnum *Israël* instituerunt; aliæ vero Tribus *Robamo* constanter adhæsere, nempe Tribus *Levi, Benjamin et Juda*; quæ ultima, cum esset aliis duabus numerosior, regno *Judæ* nomen dedit. Quartus complectitur historiam 16 *Regum Judæ*, et 12 *Regum Israël* usque ad utriusque regni excidium; *Israëlitici* quidem à *Salmanazaro*, qui decem Tribus in *Assyriam* transtulit; *Judaici* vero à *Nabucodonosor* qui *Sedeciam Regem* excæcatum, et vincum unà cum reliquo populo *Judaico* in *Babylonem* abduxit.

5^o. Duo Libri *Paralipomenon*, id est, juxta vim græci nominis, rerum omissarum: plurima enim continent, quæ fuerant in *Libris Regum* prætermissa. 6^o. Duo Libri *Esdrae*, quorum primus ea narrat, quæ *Judæis* contigere, postquam à captivitate *Babylonicâ* sub *Cyro Persarum Rege* reversi fuerunt. Secundus autem urbis *Hierosolymitanæ* instaurationem, et lapsi cultûs divini restitutionem commemorat. Cum à *Nehemiâ* scriptus fuerit, vocatur etiam, *Liber Nehemiæ*. 7^o. Liber *Tobiae*, qui utriusque *Tobiae*, historiam refert,

ex qua eximia pietatis erga Deum, et Dei erga suos providentiæ insignia hauriuntur documenta. 8^o. Liber *Judith*, ubi legitur quo miraculo piissima et fortissima hæc mulier urbem *Bethuliam* liberaverit, et *Holofernum* à *Nabuchodonosor Rege*, ad *Judæos* delendos missum, trucidaverit. 9^o. Liber *Esther*, qui *Assueri Regis Persarum* cum illâ virgine *Judaicâ* matrimonium refert, quæ populum suum, suadente *Mardocheo*, ab eâ internecone liberavit, quam urgebat perfidus *Aman*. 10^o. Liber *Job*, in quo reperitur sanctissimi illius viri historia, et illustrissimum patientiæ exemplum, quam ob causam à nonnullis inter *Libros Sapientiales* reponitur. 11^o. Duo *Machabæorum* Libri, in quibus videas insignes victorias quas de *Antiocho Epiphane*, aliisque *Judaicæ Gentis* hostibus retulere fratres *Machabæi*; *Judas* scilicet, *Jonathas* et *Simon*, in cujus morte finem habet *Historia sacra Veteris Testamenti*, annis circiter centum quinquaginta ante Christum natum.

Quæres 3^o. quinam sint Libri Veteris Testamenti *Sapientiales*.

Resp. Sex recenseri possunt: 1^o. *Psalmi Davidis*, qui varias præces ac laudes Dei, innumeraque morum præcepta continent. Multiplex est de eorum autore sententiâ. Alii putant eos non esse solius Davidis; sed et illorum quorum nominibus inscribuntur, id est, partim *David*, partim *Asaph* et *Idithun*; ita *Hieronymus*, *Hilarius*, et inter recentiores *Huetius*. Alii omnes *Davidi* *Psalmos* tribuunt, ut *Chrysostomus* et *Ambrosius*. 2^o. Liber *Proverborum*, qui totus est in tradendis præceptis moralibus, de officiis, tum erga Deum, tum erga homines. 3^o. *Ecclesiastes*, quæ vox Græca idem sonatac *Concionator*; in eo quippe Libro de rerum mundanarum vanitate concionatur *Salomon*, et in solo Deo veram felicitatem reponendam esse demonstrat. 4^o. *Canticum Canticorum*: in eo Libro,

seu potius carmine, quod totum est mysticum, celebrantur Christi cum Ecclesiâ celestes quasi nuptiæ, et utriusque amor mutuus vividis pingitur coloribus. 5°. Liber *Sapientiæ*, in quo de sapientiâ, tum increatâ, tum creatâ, sublimi sermone disseritur: illius amorem omnibus instillare studet autor, divinam ejus originem, illius obtinendæ modum, mirabilesque ipsius fructus exponit. 6°. *Ecclesiasticus*, qui tractanda assumit omnium virtutum præcepta, collectis hinc et inde sententiis, et præsertim ex Salomonis Proverbiis. Easdem fere ac Ecclesiastes tradit morum regulas.

Quæres 4°. quot Libri Prophetici in Veteri Testamento contineantur.

Resp. Sexdecim numerantur Prophetæ. Qui fusius scripsere, dicuntur *maiores*; qui vero brevius, *minores*. *Majores* sunt Isaias, Jeremias, cui jungitur Baruch, Ezechiel, Daniel. *Minores autem* ratione temporis quo floruerunt, sunt Oseas, Joel, Amos, Jonas, Abdias, Michæas, Nahum, Sophonias, Habacuc, Aggæus, Zacharias, Malachias, de quibus sigillatim disserere longius esset.

Quæres 5°. quinam sint Novi Testamenti libri.

Resp. Libri Novi Testamenti sunt, 1°. quatuor Evangelia, nempe Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis. 2°. Acta Apostolorum à Sancto Luca conscripta, quæ rerum ab Apostolis post Ascensionem Christi gestarum, compendiosam continent historiam. 3°. Quædam Apostolorum epistolæ; scilicet, 14 Pauli, et septem Epistolæ *Catholicæ*, quæ etiam dicuntur *Canonicæ*, quarum duæ sunt Petri, tres Joannis, una Jacobi, et tandem una Judæ: septem autem illæ Epistolæ vocantur *Catholicæ*, quia non ad unam personam specialem, neque ad unam Provinciam aut Ecclesiam particularem scriptæ sunt, ut Epistolæ Pauli; verum ad omnes fideles, in varias regiones dispersos.

Dicuntur autem *Canonicæ*, vel quia, ut ait Estius, ad Canonem Scripturæ sacræ, perinde ac Pauli Epistolæ, pertinent; vel potius quia *Canones*, seu vitæ Christianæ regulas, continent. 4°. Unus est tantum Novi Testamenti Liber Propheticus, nimirum *Apocalypsis* sancti Joannis, de quâ hæc habet Hieronymus: *Apocalypsis Joannis tot habet Sacramenta, quot verba . . . in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* (In Epist. ad Paulinum.)

CAPUT VI.

De multiplici Scripturæ sensu.

1°. **D**UPLEX distinguitur, *Litteralis et Mysticus*, sive *Spiritualis*. Sensus *litteralis* ille est, quem littera ipsa exprimit: hujus v. g. propositionis, *Abraham duos filios habuit, unum de ancillâ, et unum de liberâ.* (Galat. 4. 22.) Hujus, inquam, propositionis sensus *litteralis* est, quod extiterit homo nomine *Abraham*, qui ex duabus uxoribus, quarum una erat libera, altera ancilla, duos filios suscepit. Illud enim exprimunt ipsa propositionis verba. Sensus *mysticus*, sive *spiritualis*, ille est qui non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis indicatur. Sic in exemplo jam prolato, per duos Abrahamæ filios, quorum alter ex ancillâ, alter autem ex liberâ uxore natus erat, duo Testamenta mystice significantur, ut interpretatur Apostolus. (Galat. 4.)

2°. Sensus *litteralis* dividitur in *proprium et metaphoricum*. *Proprium* est quem verba proprie accepta efficiant, ut cum initio Genesis dicitur: *Deus mundum sex diebus condidisse.* *Methaphoricus* est qui deducitur ex verbis improprie acceptis, ut cum dicitur *Christus ad dexteram Patris sedere*.

dexteræ enim vocabulo, non corporis pars aliqua, sed honoris æqualitas, intelligitur.

3^o. Sensus *mysticus* triplex assignatur, nempe *Allegoricus*, *Tropologicus*, et *Anagogicus*. *Allegoricus* dicitur, cum res sub lege veteri gestæ accipiuntur ut eorum figuræ, quæ in novâ lege futura erant; v. g. cum Isaac usque ad sacrificiî locum propriis humeris lignum portavit, *passionis* Christi mysterium adumbrabat. Sensus *tropologicus*, sive *moralis* est, quando res Scripturæ verbis expressa, ad significationem alterius transfertur, quæ ad mores pertineat: exempli gratiâ, ista Deuteronomii verba: *Non alligabis os bovi trituranti*, (cap. 25.) ad eum detorquetur sensum, quod mercede suâ dignus sit operarius, ut exponit Apostolus (1. Cor. 9.) Sensus *anagogicus* est, cum verba et facta ad cœlestium significationem referuntur, mentemque erigunt. Sic Apostolus ista Psalmi 94 verba: *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, quæ ad litteram de terrâ promissionis, dicta sunt, de vitâ æternâ intelligit. (Hebr. 4.)

4^o. Unius ejusdemque loci multiplex esse potest sensus litteralis. Deus enim una eademque Scripturæ littera plura aliquando significare voluit, ut ex Scripturis manifestum est. Sic v. g. quod præceptum erat de Agno Paschali, *Nec os illius confringentis*, (Exod. 12. 46.) id pronuntiat Joannes, etiam de Christo dictum esse, qui in cruce immolatus est non confractis cruribus. Sic etiam quod de populo Judaico legitur: *Ex Egypto vocavi Filium meum*, (Ose. 1. 2.) tanquam de Christo dictum refert S. Matthæus. (Cap. 2. 15.)

Quæres, ex quo Scripturæ sensu Theologia possit certum deducere argumentum.

Resp. ex solo sensu *litterali*, non autem *mystico*, nisi aut ab Ecclesia proponatur, aut Scripturæ vel Traditionis autoritate nitatur, aut ex ipsa serie

Textûs sacri certò colligatur: ratio est, quod sensus mysticos quandoque pro suo quisque ingenio ac pietate cudit; et quo jure ab uno excogitantur, eodem possunt ab altero contemni. Hinc S. Hieronymus sic monet: *Nunquam parabola et dubia enigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* (In cap. 3. Matth.) Et Augustinus: *Quis non imprudentissime nitatur aliquid in allegoriâ positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura.* (Ep. 93. ad Vincentium Donatistam.)

Si tamen sensus mysticus ab Ecclesiâ proponeretur, aut Scripturæ et Traditionis autoritate niteretur, aut ex ipsa textûs serie aperte colligeretur, tum firmissimum Theologia ministraret argumentum; quia certum est sensum illum mysticum à Spiritu Sancto fuisse incertum.

CAPUT VII.

De Lectione Scripturæ sacræ.

QUÆRES utrum ad populum fidelem, sine ullo sexûs et conditionis discrimine, pertineat sacræ Scripturæ lectio.

Resp. Rem ita esse plurimis demonstratur argumentis.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Judæorum exemplo.

Præter publicas lectiones, quæ in Synagogis quolibet die Sabbati fieri consueverant, aliæ erant privatae. Hoc scilicet fuit apud Judæos in more positum, ut Reges ipsi Legem divinam propriâ manu exararent, quo insingeretur altius, et nun-